

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De conventiculis

Disputatio Theologica ...

.. Posterior eaque dogmatica

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Gottesheim, Johann Ernst von
Leonhard, Georg Friedrich**

Argentorati, 1705

§. 1

urn:nbn:de:bsz:31-105820

CAP. II.

§. 1.

Vidimus hætenus historiam conventiculorum, & congressuum privatorum, qui turbis rumoribusque plurimis ansam præbuerunt; restat ut jam iudicium nostrum, juxta Theologiam sanam subjungamus, atque doceamus, quid in illis desideremus: id autem commodissime fiet ea ratione, ut 1. afferamus rationes pro definienda controversia, 2. vero rationes examinemus, quibus isti homines nituntur, atque institutum suum defendere conantur: his enim duabus sectionibus rem posse explicari & iudicium formari Theologicum, speramus.

CAP. II.
Dogmaticum
§. 1.

§. 2.

Et quidem cum hic nulla sit necessitas, qualis vel in primitiva Ecclesia, vel labentibus sæculis fuisse dici potest, patet frustra homines conventus illos privatos instituisse. Necessitatem dico nullam esse, nec ex parte discipulorum, nec doctorem; siquidem verbum DEI inter nos habitat *in vobis*, legitur, auditur atque explicatur quotidie, distinctis vicibus & temporibus, ut qui una hora non possit, altera interesse & audire queat, vel ut si unus dies non suppetat, suppetat alius: ut taceam Biblia apud nos habere, omnibus licitum esse: institutæ sunt Scholæ publicæ, ut qui voluerit rem accurate expendere, fateri cogatur, necessitatem nullam esse, quæ istos conventus privatos urgeat. Discipulorum equidem profectus & ingenia diversa sunt, sed iis prospectum satis, ut abunde singuli habere possint, quantum satis est. Nec obstat multos esse auditorum, qui publicos cœtus negligant, adeoque ipsis privatim esse succurrendum, id enim ex vitio eorum est, quod non facit talem novitatem necessariam esse: perinde ac si quis diceret, nolle cives à Magistratu vocatos ad publica loca convenire, unde singulis mittendos esse ad aedes privatas nuntios, qui ipsos subditos de voluntate Magistratus instruant: Non feret, puto, hanc sententiam bene ordinata Respublica inter parentes & imperantes.

SECTIO
prima
qua
reji-
ciuntur
conventi-
cula,
quia
§. 2.
Nulla est
necessitas
& causa
iusta.